

Appendix III: Schreiben des Basler Konzils zum Osterdatum 1444

C *Kopenhagen, Kongelige Bibliotek, Thott 825 4°, fol. 186r-v*

SEQUITUR RESCRIPTUM CONSILII BASILIENSIS AD CLERUM COLON<IEN-
SEM> DE CELEBRACIONE PASCE ANNO 1444, QUIA TUNC FUIT VALDE
MAGNA DISCENSIO PASCALIS FESTI

Solemnitatem pascalem dominus Iudeis celebrandum precepit a ves-
pere lune 14 usque ad lunam 21 mensis primi (Exodus 12). Iudei vero
computant annos lunares, inchoantes eos in coniunctione equinoctio
vernali propinquiore ante vel post. Et quia luna est plena cum fuerit
14, idcirco Iudei semper celebrant pascha in die illius plenilunii, sive
dies illa fuerit dominica, sive alia. Et durat illa solemnitas integra sep-
timana, qua utuntur panibus azimis, nec debet fermentum in domibus
eorum inveniri; et sabbatum, quando occurrit infra hanc solemnitatem,
erit sollempnissimum. Sed quia dominus noster resurrexit in die domi-
nica, idcirco ecclesia ordinavit, ut dies pasce celebraretur annuatim
die dominica sequente hoc plenilunium. Et supposuit ecclesia, quod
equinoctium maneret fixum in calendario, videlicet ipso die Benedicti,
ponens^a idcirco primum pascha in crastino benedicti. Supposuit etiam,
quod aureus numerus in calendario positus ostenderet diem coniunc-
tionis fixum, quibus suppositis faciliter invenitur dies pasce secundum
predicta. Et multi et diversi diversas tabulas ediderunt ad inveniendum
intervallum, fundantes se in hiis duobus principiis. Nunc autem hec
duo mutata sunt, quia equinoctium est in profesto Gregorii et aureus
numerus ostendit lunam quintam.

Qui ergo hoc anno, scilicet 1444, voluerit calculare oppositionem
lune veram sequentem equinoctium vernale, inveniet eam 2^a die Apri-
lis, hora 11 post meridiem. Et idcirco dominica sequente, que est 5^{ta}
Aprilis, diceret pascha celebrandum. Et ex hoc neccessario oportet eum
ponere intervallum 7 septimanarum cum 4^{or} diebus. Sed quia ecclesia
nondum correxit kalendarium quoad duo premissa, idcirco non licet
alicui aliter computare pascha quam ista instituit, donec ipsa synodaliter
congregata aliter ordinaverit. Sic ergo cum unum sit aureus numerus
anno 1444, qui per duos dies solum distet a festo Benedicti, sequitur,
quod die 23 Marcii incipiat primus mensis sive lunacio pascalis se-

a) pones C.